Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 965

Quelle:
Copyright:

nimitate, iuſticia, temperancia. Succedunt *Salomon, Ambroſius, Jeronimus, Auguſtinus, Johannes Chryſoſt. Iſidorus*, e quo multae notiones rerum naturalium, uti et e *Solino*, qui tamen interceptus eſt a praecedentibus *fol.* 58. Commercio illo ſubpoſititio epiſtolari *Senecae* et *Pauli*, quod poſt alios habes in *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* P. II. p. 892. ubi noto, Epiſtolam *ultimam* perperam praeferre numerum XIII. pro XIV. cui mendo fiſus Cl. Vir in *Biblioth.* ſua *Eccl.* p. 66. *n. r.*) ſcripſit Epiſtolas tantum extare *numero tredecim.* In *Solino*, quem dixi, abrumpitur praeclara haec Ανθολογια, in qua fortaſſe non deerunt, quae ad perficiendum praecipue *Iſidori* et *Solini* textum conferre poſſint.

Adligatum eſt Codici 1) folium chartac. Sec. XIV. inſcriptum: *Qualiter accedendum ſit ad dominici corporis et ſanguinis mirabile Sacramentum. Cap.* XL. et incipiens: *Confeſſiones autem dari diligenter precipimus maxime de commocionibus animi antequam ad miſſam eatur, ne forte quis accedat indignus ad altare* &c. Finit nervoſa adhortatio e ſynodalibus quibusdam Canonibus, aut Capitulis evulſa: *Quidquid dixeris pecuniarum vertitur cauſa* — —. 2) adhaerent membranae tres Sec. XIII. inſcriptae: *Excepta de primo libro ſenece de beneficijs.* Pervadunt etiam Libros reliquos.

CCCCXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 167. 24. priori parte craſſiuſcule, poſteriori tenuiter, utrobique nitide exaratus, et coloribus illuſtratus continet I. *Anſelmi* Archiep. *Cantuar.* Dialogum II. *Libris* diſtinctum, et inſcriptum: *Cur Deus Homo.* Mulctatus eſt in hoc Exemplo Capitibus VI. primis et dimidio ita, ut nunc ſit initium a verbis: *ſapientia ſua, qua etiam mala bene ordinat, permittente* &c. Librum II. praeit Elenchus Capitum, qualis etiam fuerit ante I. et hic Elenchus in Edit. *Gerberonii Pariſ.* 1721. f. titulorum vicem agit. Textus cum hac editione collatus mendis non caret. R 3340

II. *fol.* 87. *Incipit prologus in librum de documentis antiquorum editus a fratre Bartolomeo de piſis ordinis predicatorum.* Dicam plura de hac Compilatione inferius, ubi Verſionem ejus *Italicam* adferam. Hic duobus praemunitur *Indicibus*, primo alphabetico, altero materiei juxta XL. *Diſtinctiones* procedente. Prologus infit: *Sapientiam ſanctorum exquiret ſapiens. Eccli 39. 1. Quoniam, ut ait Caſſiodorus, humanus ſenſus* &c. Opus vero ipſum: *De corporis pulcritudine C. 1. Corporalis itaque pulcritudo uana utique eſt. Prouerb. ult. Fallax gratia et uana eſt pulcritudo.* In hunc ſenſum adfertur deinceps *Hieronymus, Gregorius, L. I. Reg. c. 16. Seneca, Boethius, Juvenalis, Ovidius, Secundus* Philoſ. *Petronius*, eademque ratione